



Disputatio juridica inauguralis de arbitris compromissariis

<https://hdl.handle.net/1874/340687>

12

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
ARBITRIS COMPROMISSARIIS,

Q V A M
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inlyta Academia
Ultrajeetina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis.

Eruditorum examini subjicit

PHILIPPUS KIEN, HAGA-BATAVUS.
Ad diem II. Juny horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiz
Typographi, clc loc LXXXVII.

*Viris Nobilissimis, Amplissimis, atque Gravissimis
Dominis*

D. JOHANNI KIEN,
Florentissimæ Urbis Alcmariæ Senatori Patri suo, filiali debito, hono-
re, ac amore prosequendo.

D. GUALTERO de LANSCHOT,

J. U. D. quondam Prætori, Consuli, & Senatori ampliss. : civitatis
Lugduni Batavorum, ac eo nomine Præfecto deputato ad Cameram So-
cietatis Indiæ Orientalis, quæ est Amstelodami, nunc vero Confiliario
& Magistro rationum dominiorum Illustr. & Præpott. Ordinum Hollan-
diæ Westfrisiæque integerimo, Avunculo suo Magno.

U T E T

Nobili ac Generoso, Domino

D. GUILIELMO ab EGMONT
de NYENBURG,

Senatori ac olim Scabino laudatæ modo urbis Alcmariæ, atque eo nomi-
ne ad Nobiliss. & Potent. Collegium, quod præfest auditioni rationum
Reipublicæ Westfrisiæ & Hollandiæ Borealis Regionis, in Westfrisia &
eadem Boreali Hollandiæ Regione, deputato, ac insuper Præfecto agge-
ri de Schermeer Vigilantissimo atque indefesso, consobrino suo.

N E C N O N

Illusterrima ac Generosissima Excellentia maximeque strenuo Heroi,

D. D. CORNELIO TROMP,

Comiti de Sylsburg, Equiti Ordinis Elefantis, nec non Equiti Ba-
ronnetti, ut & Hollandiæ ac Westfrisiæ vice-Archithalasso Genera-
li, &c. &c. Cognato suo

*Se atque Disputationem hanc Inauguralem quam
humillime offert*

PHILIPPUS KIEN, A. & R.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

D E

Arbitris Compromissariis.

C A P U T P R I M U M.



Enerali mori Academicо satisfacturus, ma-
teriam de arbitris compromissariis compen-
diosa disputatione pertractabo, atque omis-
sis ambagibus statim me ad definitionem in-
dagandam accingam. Arbiter igitur compro-
missarius ita dictus a compromisso, in quo
partes litigantes poenam compromittere, id
est, simul promittere invicem solent, ne a
placitis recedatur, describi potest, quod sit
judex libero partium consensu electus, ut lites dirimat. Dicitur, *ju-*
dex propter affinitatem, quam habet cum judice, uti enim verus
judex in bonę fidei judiciis, nec non arbitrariis arbiter appellatur
l. ult. §. ult. ff. de appell. & l. ult. ff. rem pvp. salv. proinde quod in iis
judiciis liberam habeat potestatem estimandi ex bono & æquo,
quantum alterum alteri præstare oporteat §. 30. 31. *Inst. de action.* &
præterea in l. 9. & 10. *ff. qui satisd. cog. l. 31. C. de appell.* arbitri nomi-
ne venit judex a magistratu delegatus ad probandos fidejussores,
testes examinandos, vel ad aliud negotium exequendum *juxta Pe-*
res. in Cod. ad tit. de appell. n. 10. sic quoque nemini mirum sit arbi-
trum hic judicem vocari. Dicitur, *libero* ut arbiter distinguitur a
judice, cui partes non ex mera voluntate, ut arbitro sese subjiciunt,
sed propter domicilium aliamve fori competentis rationem ex neces-
itate subsunt, nec non ab arbitro ex necessitate in locum suspecti
judicis recusati a partibus electo cogente magistratu, de quo *l. 16.*
& *ult. C. de judic.* Adjicitur, *consensu partium*, ad differentiam
ulteriorem judicis, quem non facit privatorum consensus *l. 3. C. de*

4 DISPUTATIO JURIDICA

jurisd. sed publica authoritas, unde judicandi munus publicum dicitur *l. 78. ff. de judic. l. ult. §. 14. ff. de mun. & bon.* Verum arbitrorum nostrorum officium privatum nullam autoritatem, quam a partibus in compromisso datam, complectitur, quia privatus in privatum nec imperium, nec potestatem habet. Denique in definitione exprimitur arbitrum ad instar judicis electum esse, *ut lites dirimantur*, ex quibus verbis satis colligi potest, hanc arbitrorum speciem longe diversam esse ab iis, qui vulgo arbitratores vocati in actibus extrajudicialibus adhibentur in eum finem, ut tanquam mediatores ac viri boni quascunque res amicabiliter absolvant sine ordine judicii: veluti in contractu locationis si mercedis aestimatio facienda sit, horum autem arbitrio iniquitatem continente itur ad judicium bonae fidei. *l. 76. seqq. ff. profocio. l. 25. princ. ff. locat. cond. i. ult. C. de contrah. empt. vend.*

CAPUT SECUNDUM.

Post definitionem perspiciamus breviter, quibus & in quos compromittere liceat; primo dicendum est constituere arbitrum posse quemlibet rei suæ dominum, nisi speciali lege prohibatur, idque propter animi defectum ut furiosus, cum coram eo non videatur sententia dici *l. 27. §. 5 ff. b. t.* vel ob aliud quodcunque impedimentum, ut servus qui legitimam standi in judicio personam non habens compromittere non potest ob rationem in *l. 3. §. 8. ff. de pecul.* nec non mulier ob intercessionem, quæ tamen in sua causa arbitrum eligere non prohibetur *l. 32. §. 2. ff. b. t.* Præterea aliis obest ætas ut pupillo & minori, pupillus quo sine tutoris auctoritate nequeat compromittere neminem latet, cum contra eum compromittendo se non obligantem *arg. princ. Inst. de auct. tut. pœnæ exactio non admittatur*, nisi fidejussorem dederit *l. 35 ff. b. t.* in minore distinguendum est an curatorem habeat nec ne, priori casu ei non licere arbitrum eligere puto ob *l. 3. C. de integ. rest. min.* ubi minor æquiparatur ei, cui a prætore bonis interdictum est; carens autem curatore minor recte arbitrum elget, & compromissum tunc valebit, donec minor, lassionem probans intra tempora constituta

INAUGURALIS. 5

stituta in integrum restitutionem impetraverit. d. l. 3. & 5. C. de in-
teg. ref. min.

Pro his interveniunt tutores & curatores ex officii necessitate, quantam ii in compromittendo potestatem habeant satis manifeste appareret in l. 22. C. de adm. tut. tit. C. de præd. & alis reb. min. cum ibi mentio fiat de alienatione latissime accepta, quo compromittere refertur, hinc facillime colligi potest tutores & curatores compromittere pro suo arbitrio posse de rebus mobilibus, quæ servando servari nequeunt, de rebus autem mobilibus, quæ servando servari possunt, & de immobilibus non aliter, quam accedente prætoris decreto. Postremo Syndici & administratores civitatum compromittendi licentiam habent, dummodo id non de rebus liquidis, ambitiose, nec in fraudem civitatis agant. arg. l. 2. C. de transact. l. 4. ff. de de-
cret. ab ord. fac. l. 2. §. 2. ff. de adm. rer. ad civit. pertin. & ad horum exemplum procuratores compromittunt pro privatis, a quibus spe-
ciale ad hoc mandatum accepunt, illis autem, qui generali man-
dato instructi sunt, tantam potestatem in omnium bonorum admi-
nistrione denegatam esse satis percipimus ex arg. l. 60. & 63. ff. de
procur. nisi libera universorum negotiorum administratio iis à do-
mino permissa fuerit. arg. l. 58. & 59. ff. de procur. l. 9. §. 4 ff. de acq.
rer. dom. §. 42. Inst. de rer. divis &c.

Arbitri quinam constituantur non multum refert utrum ingenuus an libertus utrum honestus an ignominiosus, utrum pater an filius. l. 5. & 7. ff. b. t. patria potestate uti in causis publicis sic etiam in arbitrio recipiendo filio. non obfutura, ita ut id extendi queat ad causam patris l. 6. ff. b. t. libera enim est litigantium potestas qua-
lemcunque eligendi arbitrum, non tantum unum sed etiam plures pari & impari numero, recte tamen facient, si arbitros numero im-
pares elegant, ut major pars minorem ad se traheret, casu quo plu-
res dissentiant l. 17. §. ult. ff. b. t. quod magis obtainere videtur, si arbitri inter se in aliis rebus quam de summa dissenserint, nam in casu l. 27. §. 3. ff. b. t. unus in quinque cæteris in decem condem-
nantibus prævaluit, quia majori summæ inest minor ac in obscuris quod minimum est, sequendum. l. 1. §. 4. de verb. obl. l. 9. ff. de
rez. Fur. Verum libera litigantium potestas non facit legibus præ-
judicium, quæ nonnullos in totum arcent ab arbitrio, ut mulie-

6 DISPUTATIO JURIDICA

res, arbitrium enim, uti judicium, virile munus est; *l. 2. ff. de reg. jur.* tale igitur compromissum nullos parit effectus, ita ut nulla pœna exactio aut pacti exceptio contra justos earum contempentes admittatur; *l. ult. C. b. t.* nec non pupillum, furiosum, surdum & mutum ob animi corporisque vitium; *l. 9. §. 1. ff. b. t.* quibus adjungendus est servus jure civili pro nullo habitus, cuius tamen sententia valet, si liber factus ex partium consensu eam dixerit ead. *l. 9. princ.* Nonnulli autem quibusdam tantum in casibus arbitrio arcentur, ut judges ordinarii in causis iis, in quibus judicis officio fungi debuerant, prohibente lege Julia ead. *l. 9. §. 2.* propter absurditatem futuram, si forte alter litigantium pœna per soluta ex integro causam agens judicem ordinarium adiret, qui tum in eadem causa ut arbiter & judex cogeretur dicere sententiam.

C A P U T T E R T I U M.

UT autem arbitri recte constituantur necessarium est compromissum, cuius forma consistit in eo, quod partes arbitrum aliquem elegant, & per pactum vel stipulationem invicem promittant pœnam præstandam in casu, quo sententia ejus non steterint, vel apud eum electum sui copiam facere neglexerint. *l. 2. C. b. t.* Hæc pœna alteri litigantium arbitri sententiam amplectenti, non fisco, applicanda *l. 42. ff. b. t.* majoris firmitatis gratia compromisso adjicitur, ut tamen nihil interfit utrum certa an incerta, pœna nummaria an alia res vice pœnæ, ac utrum ab altera parte res ab altera pecunia promissa fuerit. *l. 28. l. 11. §. 2. & 3. ff. b. t.* Verum loco pœna accessit olim juramentum *l. 4. & 5. C. b. t.* quod jure novo à Justiniano ob metum perjurii sublatum est. *auth. decernit. C. b. t. Nov. 82. Cap. 11. §. 1.*

Cæterum dies a litigantibus constituitur vel ab arbitro litigantium consensu, intra quem sententia ferenda est, *l. 1. C. b. t.* nisi arbitro juranti sibi de causa nondum liquere spatum ad pronunciandum concedatur *l. 13. §. 4. ff. b. t.* quod si non adjectus sit dies consentientibus partibus eum arbiter constituit, alioquin omni tempore sententiam ferre cogetur. *l. 14. ff. b. t.* Verum in compromisso desideratur, ut contineat causas, quæ sunt privati arbitrii, non graviores,

I N A U G U R A L I S. 7

viores, quæ majores requirunt judices, veluti in integrum restitu-
tionem, criminalem, liberalem & status causam, popularem &
infamantem actionem l. ult. C. ubi & apud quem cogn. ref. l. 32. §. 6.
& 7. ff. b. t.

C A P U T Q U A R T U M.

QUAMVIS arbitrium recipere sit res libera, soluta, & ex-
tra jurisdictionis necessitatem posita, ita ut nemo ad id reci-
piendum compelli possit, attamen æquissimum fore existimans Præ-
tor, quod quis receptum implet officium, in edicto ait se coactus
rum eum, qui pecunia compromissa arbitrium recepit l. 3. §. 1. 2.
ff. b. t. Hoc autem accipidebet de personis, in quas Prætor impe-
rium exercere potest, hinc Magistratus superiore aut pari imperio
non coguntur; l. 3. §. 3. l. 4. ff. b. t. & de illis casibus, quibus ad-
huc subsistit compromissum, unde Prætor arbitrium sententiam di-
cere non compellit compromisso soluto pacto, transactioне, inte-
ritu rei, judicio, cessione bonorum alterutrius litigantium, &
morte, l. 17. l. 30. 32. §. 3. & 5. ff. b. t. nisi in compromisso com-
prehensa sit mentio hæredum utriusque partis; l. 27. §. 1. l. 49. §. 2.
ff. b. t. nec porro excusationem denegat causa cognita propter con-
tumeliam arbitro a partibus illatam, inimicitias capitales, etatem &
alias causas recensitas in l. 9. §. 4. 5. l. 10. 11. 15. ff. b. t. Cumque in
plures compromittentium animus sit, ut omnes sententiam dicant,
hinc liber cum servo arbiter sumptus non cogitur, nisi compro-
missum ita sit factum ut alterutrius sententia valeat, l. 7. §. 1. l. 8.
ff. b. t. & sic etiam uno ex arbitris absente, l. 18. ff. b. t. quamvis
præsentes suffragio suo absens superare nequeat, potuit tamen cau-
se æquitatem explanando in suam ducere sententiam. Simpliciter
autem sententiam ferre non sufficit, quoniam requiratur ea, quæ
controversiæ finem imponit, hinc arbiter pœnam peti vetans offi-
cium non implet, de ea enim non erat compromissum, l. 21 ff. b. t.
sicut nec ille, qui non de omnibus in compromissum deductis con-
troversiis, & de iis, que postea supervenerunt sententiam dicit,
imposita quidem necessitate, ut omnia in compromisso compre-
hensa absolvat, l. 21. ff. b. t. non autem ei competente facultate ex-
cedendi

8 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

cedendi compromissi terminos, & potestatem sibi à partibus datam.
l. 46. 32. §. ult. ff. b. t. Quemadmodum arbitri sententiam ferre, su-
sceptumque (uti dictum) implere officium coguntur, sic quoque
partes litigantes eorum sententiæ stare tenentur, sive æqua sive
iniqua sit, cum sibi imputare debeant, quod talē elegerint,
eique cause suæ notionem & determinationem commiserint, l.
27. §. 2. ff. b. t. nisi manifesta ejus inimicitia vel gratia, aut
sordes appareant, atque probetur arbitrum vel advocationum diversæ
partis, vel aliquem cui causam suam commiserant pecunia vel ambi-
tione corruptum esse, eo enim in casu actio ex stipulatu datur, si
nempe in compromesso mentio de dolo facta fuerit, quæ si omissa
sit, actioni aut exceptioni doli ad sententiam evertendam locus erit:
l. 31. 32. §. 14. ff. l. 3. C. b. t. quod si horum omnium nihil probari
queat datur cum effectu actio sive poena adjecta sive omissa sit,
dummodo partes vel sententiæ arbitri recte pronunciatæ subscrip-
serint eam ambabus partibus non displicere, vel omissa subscriptione
intra decem dies proximos alterutra pars non miserit attestacionem
judici vel adversario, per quam manifestum sit definitionem non
esse amplectendam, atque ita partes sententiam silentio roboraverint,
ex qua homologata nascitur actori actio in factum & reo exceptio, ut
stetur definitioni per ordinarium judicem executioni mandandæ : l.
pen. C. b. t. Verum poena adjecta ad eam petendam est exceptio pacti,
si nudo pacto, vel actio ex stipulatu, si stipulatione compromissum
factum sit, alioquin ad id quod interest actio incerti competit, si
partes simpliciter sententiæ stare promiserint l. 2. l. 11. §. 2. l. 27. §. ult.
l. 28. ff. b. t. Denique in compromesso res ita se habet, ut à sententia
arbitrorum nostrorum nulli appellatio aut reductio ad arbitrium bo-
ni viri concedatur.

C O R O L L A R I A.

1. **C**ausæ justæ exheredationis in nov. 115. cap. 3. expressæ ad si-
miles & graviores extendi possunt.
2. Venditor rem præcise tradere non tenetur, sed liberatur præstan-
do id quod interest.
3. In verbis tantum conjunctis locum non habet jus accrescendi.